Quaestio Medica.

Quodlibetarijs exagitanda Disputationibus In Scholis Medicorum die martis 13 Januar.
D. Bartholomeo Perdulci D. med. prudentiss. Moderatore.

An lac nutricis Puero Medicamentum optimum?

Natura sui operis conservandi maxime studiosa, quem in utero foetum ex utriusque parentis animato semine non efficientis solum sed etiam materialis principii rationem habente conformavit, eundem auget alitque tandiu materno sanguine, dum grandior factus plenioris cibi, aurasque frigidioris desiderio in lucem erumpat, quod septimo interdum, nono saepius, decimo ad summum mense feliciter contingit. Nec ulli animali vel gignendi ita pariendi tempus magis indefinitum. Idem tamen ~~in septimo interdum, nono saepius, decimo ad summum mense~~ mari ac foemina praefinitum: quamquam haec frigidior celerius increscit a partu. Verum edito idoneum et familiare alimentum eadem comparavit. Lac nimirum menstruo sanguini germanum, frigidius tamen. Sanguis enim, non alia re quam copia molestus, instante partu cum per venas quae ab utero ascendunt, tum per eas quae a cava descendunt in mammas deponitur, quarum vi e rubro in album vertitur lactisque naturam et nomen accipit: quod in virginibus accidere non est alienum.

Lactis gignendi sola mammae, ut seminis testes habent facultatem. Gemini sunt hi ad foecunditatem, et illae ad gemellorum nutricationem. Substantia ~~et~~ utriusque glandulosa, proinde frigida et ignobilis. Commune officium propagandae aut conservandae speciei necessarium, sed et vitae salubritati commodum. Caeterum mammae pectori utrinque incubant ut cordi calorem ad lactis generationem conferenti, suo tutamine parem referant gratiam. ~~Rotundae~~ Rotundae sunt ad capacitatem, turgidulae et candidulae ad venustatem, vasis compluribus intertextae ad suggerendam lactis materiam, rarae et spongiosae ad receptaculum. Iuvenculis compactiores sunt et duriusculae praesertim catulientibus, vetulis vero flaccidae. Grandiores si firmae fuerint valentiorem conceptum indicant; si subito extenuentur, abortus sequitur. Tanta mammae cum utero societate coniunguntur.

Puero lactando matri convenit magis, quae fontem illum corporis sanctissimum generis humani educatorem non sinit arescere, aut nati corpus ~~animumque~~ animumque bene ingeniatae primordijs inchoatum insititio degenerique alimento lactis alieni corrumpi. Lac quippe matrum unicuique utilissimum. Quod si matris mollities, morbus aut quaevis imbecillitas quaevisdam aliam cogat nutricem, deligi debet quae sit inculpata valetudine, aetate florida, habitu medio inter obesum et gracilem, colore fusco, lato animo, sedatis moribus, amplo pectore, magnis mammis et duriusculis, papillis neque conniventibus neque auctioribus. Lac vero optimum censetur si copia et consistentia sit mediocre, colore ~~et~~ album et aequale, odore suave, gustu iucundum et dulce, si denique in unguem distillatum non defluat. Magnum praeterea infanti accedit commodum si nutrix ~~nutrix~~ non multo ante pepererit maxime si masculum.

Nulla tamen vel nutricis tam laudabilis est temperies, vel lactis tanta bonitas, quae ab externis causis non possit immutari. Sic aestas torrida incenso lacte prurit funesta. Nutrici officiunt plurimum salsa omnia, acria, acida, amara, quae valde calfaciunt et siccant, vitia etiam odore aut sapore olentia, praeter haec temetum et ingluvies. Motus vehemens lac minuit, ignavia corrumpit. Somnus et vigilia si modum excesserint malum. Ventris segnities omnium confusio est. Nimius fluor, aut mensium immoderatus uterum exhaurit. Sed nihil aeque nutricibus adversatur quam ὀξυθυμία mulieribus familiaris, aut Venus ad quam aetate sunt procliviores. Quae idcirco non solum a viri ~~consuetudine~~ consuetudine sunt arcendae, sed etiam ab osculis, colloquiis salacibus, choreis, ~~contrectationibus~~ contrectationibus, caeterisque illecebris ~~et~~ avocandae.

Qui lactis infans dum morbo vexatur aliquo, non facile eo defungitur nisi pariter nutrici consulatur. Cuius intemperies paulo calidior, puero ~~febrici-~~ ~~tante~~ potissimum febricitante iusculis ex lactuca, aquae potu, et pharmacis refrigerantibus oppugnanda. Plethora sanguinis missione levanda. Cacochymia purgatione tollenda. Lac vero si crassius est vel excrementitium diureticis, hidroticis, et labore tenuandum. Si copiosius, victu tenui et ieiunio minuendum: Si parcius cibo pleniore et euchymo reparandum: Si tenuius edulijs incrassantibus densandum: Si aquosius calidis et roborantibus corrigendum. Denique unumquodque vitium contrarijs abigendum. Quod si puero graviter laboranti catharticum videatur necessarium, nec facile tamen aut tuto possit exhiberi, nutrici vel caprae porrigendum: Namque in humoribus et excrementis, atque adeo spiritibus, et partibus solidis assumptorum omnium, nedum ~~[illegible]~~ medicamentorum virtus aliqua servari videtur.

Ergo lac nutricis Puero medicamentum optimum.

Asserebat Petrus Ponson Provincialis, anno Domini, 1595.

M. Stephanus Dufour. — M. Julianus Berè. — M. Guillelmus Robineau.
M. Philipus Hardouyn de S. Jacques. — M. Nicolaus Marchant. — M. Petrus Laffilè.
M. Ludovicus Dreux. — M. Franciscus Duport. — M. Gerardus Denisot.